

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensis eiusque historia (25)

4.10.1.1.2. De progressu regionis Lindiensis

Post primum bellum mundanum Ottilianorum opera missionaria in Africā orientali maximā ex parte corruerant. Unici, quibus in hac regione, id est in Apostolicā Praefecturā Lindiensi manere licuit, erant tres Congregationis Ottiliensis Patres nationis Helveticae.¹ Agebatur de P.re Gallo Steiger, quem episcopus Thomas Spreiter, cum ipse in Germaniam redire coactus esset, iam anno 1917^o vicegerentem suum reddiderat, de P.re Xaverio Hasler atque de P.re Hilario Kaiser. Supra umeros illorum trium virorum itaque omnes labores positi erant, quā condicione scilicet valde onerati erant. Idem autem sedem suam principalem in loco Ndanda instituerunt. Tamen non nimis saepe unā ibidem versabantur, cum ad missionem ex causis bellicis laesam redintegrandam frequentissime in itinere esse cogerentur. Nihilominus regulariter convēnērunt, ut modum progrediendi constituerent, labores distribuerent, in communitate vires recrearent.

Condiciones autem aliquatenus meliorari coeptae sunt, cum die 21^o m. Febr. a. 1922^o régimen Anglicum «Helvetios Benedictinos Uznachienses», qui scilicet ad Congregationem Ottiliensem pertinebant, societatem missionariam sui iuris agnosceret² et die 22^o m. Febr. 1922^o Congregatio de Propaganda Fide Praefecturam Apostolicam Lindiensem Helvetiis Benedictinis Ottilianis

1 Hi conexus iam breviter commemorati sunt. *Cfr* supra cap. 4.6.2.1.1.

2 *Cfr* Lambert DOERR: Peramiho 1898-1998. In the Service of the Missionary Church. 1. Ndanda-Peramiho 1998, p. 92; Godfrey SIEBER: Die Benediktinermission in Ostafrika während und nach dem 1. Weltkrieg. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 332; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika nach dem Weltkrieg. *In*: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 205; Ivo AUF DER MAUR: Abtei St. Ottmarsberg. *In*: Leuchter 2 (²1992), p. 343; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. *In*: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 103; Eckard KÖHLE: Kurze Geschichte der Ostafrikanischen Mission. *In*: Missionsblätter 32, 1928, p. 209; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1. Beginning and Development up to 1932. St. Ottilien 2008, p. 289; Lambert DOERR: Abbot Bishop Gallus Steiger O.S.B. (1879-1966). Life and Work of an Outstanding Missionary Pioneer. St. Ottilien 2014, p. 30.



P. Gallus Steiger.
[Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER
(edd.) (2003), p. 358.]


traderet Praefectumque Apostolicum P. rem Gallum Steiger redderet.³ Hunc in modum ex Helvetiā plures Patres Fratresque denuo in illam regionem missionariam venire valuerunt.⁴ Tamen numerus missionariorum, qui ex domo Uznachiensi mitti poterunt, etiam limitatus erat. Magnum ergo emolumentum erat, quod inde ex anno 1926^o missionariis Germanis Africam orientalem intrare ibique operari iterum licuit.⁵

Cum anno 1922^o Praefectura Apostolica Lindiensis Benedictinis Helvetiis tradita esset, Patres Albi, qui inter bellum et etiam post idem multum auxilium tulerant imprimis in stationibus servandis, quae in parte occidentali territorii sitae erant, paulatim inde se recipere voluerunt, ut iterum in labores suos proprios magis incumbere

-
- 3 *Cfr* AAS 14, 1922, p. 166. - *Cfr* Godfrey SIEBER: Bischof Gallus Steiger. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 359; Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 92; Beda DANZER: Die Benediktinerregel in Übersee. St. Ottilien 1929, p. 82; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien ³1939, p. 53; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika (1928), p. 206; Frumentius RENNER: Die Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Leuchter 2 (²1992), p. 142; Siegfried HERTLEIN: Missionsmethode (1982), p. 103; Eckard KÖHLE: Kurze Geschichte der Ostafrikanischen Mission. *In*: Missionsblätter 32, 1928, p. 209; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 30.
- 4 Ut Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), pp. 290 sq. indicat, primi, qui advēnērunt, erant P. Othmarus Klingler, P. Fintanus Schneider, P. Beatus Iten, P. Leodegardus Gehrig, Fr. Meinradus Bienz, Fr. Fidelis Gillerion, Fr. Gallus Wiederkehr, Fr. Nicolaus Fuchs, Fr. Willibrordus Budde, quos iam mense Augusto a. 1922ⁱ secuti sunt P. Iohannes Haeflinger, P. Columbanus Schnueriger, P. Nicolaus von Holzen, P. Ioachimus Ammann, Fr. Vincentius Mueggler, Fr. Willehardus Peterhans, Fr. Melchior Hentsch.
- 5 *Cfr* Chron. Ottil. 1926, m. Ian usque ad m. Apr. et Missionsblätter 30, 1926, pp. 131, p. 133, ubi primi Ottiliani Germani, qui denuo in Africam orientalem missi sunt, enumerantur P. Eugenius Feller, P. Ferdinandus Fichtner, P. Severinus Hofbauer, P. Oswaldus Friedl, Fr. Ivo Schweiger, Fr. Hermannus Reifenrat, Fr. Ephraim Streng, Fr. Villibaldus Tornes, Fr. Florianus Keßler, ex quibus maior pars ante primum bellum mundanum iam in Africā orientali operabatur.

possent. Ottiliani eis pro hōc auxiliō latō gratissimi erant. Sed tunc ipsi, etiamsi adhuc satis pauci erant, illam Praefecturae partem, quae quōque satis ampla erat, curare debuerunt. Speciatim illo temporis momento agebatur de stationibus Peramiho, Kigonsera, Lituhi atque Litembo. Itaque iam mense Aprili a. 1922ⁱ P. Xaverius Hasler ad stationem Peramiho missus est, qui ibīdem munere quōque Prioris functus est et deinde etiam vicegerens Praefecti Galli Steiger redditus est.⁶ Mense Novembri a. 1922ⁱ praeterea P. Hilarius Kaiser ad stationem Peramiho pervēnit, qui tamen deinde in statione Kigonsera operabatur.⁷ Ipse autem P. Gallus Steiger residentiam suam in Ndanda retinuit.

Labores in Praefecturae territorio, quod ab Oceano Indico usque ad lacum Nyasam extendebatur, erant difficiles et multa problemata erant solvenda. Nihilominus progressūs decursū temporis bene conspiciebantur. Tamen videbatur totum Praefecturae territorium in duas variis ex causis diversas regiones divisum esse, nempe in regionem orientalem circa Ndandam sitam et in regionem occidentalem circa locum Peramiho sitam. Diversitas autem inter has regiones cohaerebat cum compluribus condicionibus ibīdem vigentibus, quae etiam effectūs in euangelizationem atque statum Christianismi exseruerunt. Periti imprimis quattuor causas ad conexūs explicandos exhibent.⁸ Unā enim ex parte regio orientalis multo diutius pugnīs belli mundani earumque sequelis affecta erat quam regio occidentalis et eius incolae saepius in fugam se dare atque in silvis incaeduis disparere coacti erant. Cum alterā ex parte




P. Xaverius Hasler.
Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey.
1 (2008), p. 303.]

6 *Cfr* Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 32; Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 93; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 291.

7 *Cfr* Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 93; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 291. - Inde ab anno 1923^o P. Hilarius Kaiser stationem Lituhi curavit.

8 *Cfr* Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), pp. 307 sqq.; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), pp. 28 sq.



P. Hilarius Kaiser.
Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey.
1 (2008), p. 303.]

missionariis Germanis territorium relinquendum esset, etiam regio orientalis ex hac condicione magis passa est, quia Christiani indigenae Patribus amissis non iam ita curari potuerunt, aliter ac in regione occidentali, ubi Patres Albi satis celeriter curam animarum suscipere valuerunt. Hunc in modum accidit, ut in regione circa Ndandam sitā multi quōque illorum, qui iam Christiani erant, in desuetudinem fidei pervēnerunt. Tamen eosdem denuo attrahere interdum haud facile erat. Et hōc in conexū tertium problema nominandum est, quod quidem prioribus missionariis iam notum erat, sed ad quod superandum iidem solutionem quandam nondum invēnerant. Agitur autem de indigenarum ritibus initiationis, quibus transitus iuvenum in statum adultorum atque eorum plena receptio in societatem suam humanam significabatur.⁹ Cum missionarii putarent tales ritūs non esse sociabiles cum fide Christianā, scilicet difficultates exortae sunt, quae quidem auctae sunt strictissimo atque severissimo modo progrediendi P.ris Galli Steiger eiusque confratribus.¹⁰ Denique respicienda est fides Islamica, quae imprimis in Praefecturae parte orientali effectūs satis magnos exseruit, quā de causā ibīdem condicio euangelizationis difficilior erat, et haec quidem difficultas post primum bellum mundanum maior erat quam ante idem.¹¹

9 Illi ritūs ibīdem appellabantur *unyago*.

10 Hos conexūs fusius explicat Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2008), pp. 309, 385 sqq. - *Cfr* etiam Lambert DOERR: *Gallus Steiger* (2014), p. 29.

11 Praetera ex. gr. Lambert DOERR: *Peramiho*. 1 (1998), p. 121; Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2008), pp. 309 sq. ad differentes progressūs explicandos afferunt magnas differentias culturales in illis duabus regionibus vigentes, cum in parte orientali circa Ndandam sitā praesertim tribūs matrilineares vixerint et in parte occidentali tribūs patrilineares.

Apparet autem, cum statisticas spectemus, revera multo maiores effectūs in Lindiensi regione occidentali inveniri. Sic conspectus, qui de parte orientali exhibetur, est hic:¹²

Ndanda	1913	1917	1921	1922	1923	1924	1925	1926
Christiani	4710				5430			6710
catech.	385			84	79	82	447	702
baptismata			120	215	236	323	563	504
scholae	90		27	40	43	59	78	85
studentes	5770		807	1287	1897	2529	3231	4034

Omnino alii numeri, quod attinet ad regionem occidentalem, praebentur hi:¹³


Pera-miho	1913	1917	1921	1922	1923	1924	1926	1927
Christiani	2746		10219		15820	18914	20545	23610
catech.	636		4915		2449	2565	1995	962
baptismata			2162	3175	4464	4468	3288	4014
scholae	91		114	129	149	211	266	307
studentes	6056		9603	10463	14437	14740	16506	15867

Cum hos progressūs numerosque aspiciamus, non est ergo nimis mirandum, quod P. Gallus Steiger ipse se Lindiensi regioni occidentali magis coniunctum esse sensit. Nam ibīdem unā ex parte progressūs effectūsque erant

12 Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 296.

13 Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 295.

manifesti et praeterea indigenae illius regionis missionarios post bellum revertentes magno cum gaudio denuo receperant, alterā ex parte in regione orientali circa Ndandam sitā primo decennio postbellico condicio missionaria non revera promoveri videbatur. Itaque P. Gallus Steiger etiam maiorem partem et missionariorum et pecuniae regioni occidentali attribuere solebat.¹⁴ Tamen tales regionum comparationes, quae meris numeris innituntur, non sunt nimis frugiferae, quod attinet ad partem non ita prosperam, quia generaliter oblivisci non licet ibīdem plura atque maiora obstacula fuisse.



P. Severinus Hofbauer
[*Leuchter* 2 (2^o1992), p. 150/3.]

Progressūs effectūsque missionis in Praefecturā quōque Lindiensi artē cohaerebant cum eruditione scholari, quam Benedictini variis modis praeberunt.¹⁵ Quā in re cooperatio cum regimine Anglico erat magni momenti. Hōc in conexū iam breviter commemorandum est P.rem Severinum Hofbauer, cui iam anno 1926^o immediate post reditum in Africam orientalem munus traditum est, quo scholam ad futuros magistros erudiendos institueret, etiam aliud propositum incohavisse. Nam īdem magis in futurum prospexit atque putavit tempus iam esse, quo Christiani iuvenes indigenae ad sacerdotium suscipiendum essent praeparandi.¹⁶ Etiam si neque eius confratres neque Praefectus Apostolicus huic cogitationi vere favebant, P. Gallus Steiger ei

tamen permisit, ut anno 1926^o parvum seminarium conderet atque paucos iuvenes aptos linguam Latinam doceret eosque ad futurum munus sacerdotale

14 *Cfr* Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 385; Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 122; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), pp. 42 sq. - Haec distributio non satis aequalis dicitur plerisque missionariis non ita placuisse.

15 De hac re *cfr* fusius infra cap. 4.12.

16 *Cfr* Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 107; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 53. Frumentius RENNEN: Ostafrikamission. In: *Leuchter* 2 (2^o1992), p. 143 rem breviter commemorat nomen P.ris Severini Hofbauer tamen non indicans.

praepararet.¹⁷

Ex illo tempore, quo licentiā officiali praebitā missionarii Germani Praefecturam Lindiensem iterum intrare potuerunt atque hunc in modum numero missionariorum constanter aucto Benedictini labores exanclandos extendere valuerunt, Archiabbas Norbertus Weber cogitavit de hac regione missionariā etiam quoad formam exteriorē magis monastice constituendā. Nam - uti scimus - eius firma persuasio erat in eo, quod bonus effectus missionarius Congregationis Ottiliensis artissime cohaerebat cum Benedictino statu monastico bene fundato stabilitoque missionariorum. Scopus autem Norberti Weber erat in eo, ut in Praefecturā Lindiensi abbatiam erigi desideraret. Voluit enim hunc in modum Praefectum sive Vicarium Apostolicum insimul Abbatem alicuius monasterii fore, ita ut idem fieret et praepositus missionarius et praepositus monasticus. Itaque iam anno 1926^o deliberationes praevias instituit, ad quas etiam alios Praelatos Congregationis Ottiliensis accivit et Praefectum Apostolicum Lindiensem Gallum Steiger quōque in Germaniam vocavit.¹⁸ Hōc Capitulum speciale, quo praeter alia etiam haec quaestio tractabatur, mense Octobri a. 1926ⁱ in abbatia Suarzacensi locum habuit, quod participaverunt ipse Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Placidus Vogel Suarzacensis, Abbas Coelestinus Maier Swickersperchiensis, Praefectus Apostolicus Gallus Steiger, P. Hugo Reinhard missionis procurator Ottiliensis, P. Petrus Wachter secretarius Archiabbatis.¹⁹ Omnes autem sciebant Gallum Steiger ab initio, quo propositum abbatiae erigendae compererat, hanc cogitationem non esse bonam diiudicavisse eamque pluribus argumentis iterum iterumque refutare conatum esse.²⁰ Sic etiam inter Capitu-

17 Ut Lambert DOERR: *Peramiho*. 1 (1998), p. 107 refert, P. Gallus Steiger nonnullis annis post, cum Ugandam atque episcopum Henricum [*Henry*] Streicher visitaret, eruditionem sacerdotum indignerum, quae ibidem fiebat, diligenter inspexit. Ex illo tempore eius refragatio hac in re amota erat et ipse quōque tale inceptum sustentavit.

18 P. Gallus Steiger mense Iulio a. 1926ⁱ in Helvetiam Germaniamque advenerat et occasione commorationis etiam utebatur ad consultationes instituendas, quae praesertim ad plures missionarios missionariasque acquirendas spectabant. - *Cfr* Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), pp. 46 sqq.

19 *Cfr* Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 50.

20 Ut Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2008), p. 360 refert, P. Xaverius Hasler epistulariter plura conamina suscepit, quibus opinionem Praefecti mutare voluit, sed frustra. Videtur autem maior pars missionariorum, qui in Praefectura Lindiensi operabantur, eandem sententiam hac in re habuisse ac Gallus Steiger. - Sic etiam Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey STEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 163.

lum speciale factum est, sed Praefectus Apostolicus in hōc conventū argumenta sua sine effectū protulit.

Archiabbati autem propositum suum erat magni momenti, cum regiones missionarias modo monastico Benedictinoque ordinare ipsi maxime cordi esset.²¹ Itaque Norbertus Weber in initio anni 1927ⁱ petitionem Romam misit, quā rogavit, ut in Praefecturā Apostolicā Lindiensi abbatiam erigere liceret.²² Tamen hōc actū disputationes inter Archiabbatem et Praefectum Apostolicum de hōc themate nondum erant finitae, cum īdem opponere non desineret.²³

Sed non solum ipsi P.ri Gallo Steiger haec res displicuit, verum etiam pars missionariorum Africae orientalis contra hōc propositum se vertit. Nonnulli eorum P.re Beato Iten ducente die 11^o m. Ian. a. 1927^o memorandum quoddam ad Congregationem de Propaganda Fide miserunt, quo reclamaverunt missionarias obligationes pastorales non esse sociabiles cum vitā monasticā, immo abbatīā erectā labores missionarios impediri.²⁴

21 Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2008), p. 359 hōc in conexū adnotat Archiabbatem Norbertum Weber omni annisū perceptionem suam ad effectum adducere voluisse, quia iam in Capitulis generalibus annorum 1920ⁱ et 1921ⁱ hac in re repulsam accepisset, cum Abbas Bonifatius Sauer Seulensis decreta accipere recusavisset atque Abbas Primas Constitutiones ad Sanctam Sedem transferre recusavisset. Tamen causae, cur Constitutiones anni 1920ⁱ reprobatae essent (etiam ab Abbate Primate), non erant positae in persuasione missionariā Norberti Weber. Et quod attinet ad Constitutiones anno 1921^o exaratas, condicio erat omnino alia, cum eadem retractatae denique approbarentur. - De his rebus *cfr* supra capp. 4.9.2.3, 4.9.3.2., 4.9.6.

22 *Cfr* Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2014), p. 360; Cyrill SCHÄFER: *Territorialabteien als Ausgangspunkt der Benediktinermission*. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 409.

23 Haec oppositio ex omnino alia perceptione missionariā provenisse videtur, cum P. Gallus Steiger methodum praetulerit, quā quam plurimas stationes condere voluit, ut hunc in modum Praefecturam suam optime penetrare posset atque bonum effectum euangelizationis haberet. Ad hōc systema adhibendum multis missionariis indigebat, sed non uno loco congregatis. Hanc methodum simili modo iam P. Maurus Hartmann adhibere conatus est.

24 *Cfr* Cyrill SCHÄFER: *Territorialabteien*. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 410; Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2008), p. 360; Lambert DOERR: *Gallus Steiger* (2014), p. 51.

Illi missionarii primo Archiabbate nesciente epistolam suam Romam miserunt, nihilominus Norbertus Weber de hac re certior factus est. Epistolā die 28^o m. Maii a. 1927^o ad Abbatem Primate directā īdem praeter alia monuit talibus querelis cogitationibusque fundamenta Benedictina missionis Otilianae destructum iri et sub tali condicione melius

P. Gallus Steiger, qui adhuc in Germaniā versabatur, deinde in fine mensis Martii a. 1927ⁱ ab Congregatione de Propaganda Fide rogatus est, ut Romam veniret.²⁵ Susplicandum autem est illam epistulam missionariorum fuisse in causā huius rogationis, cum Congregationi de Propaganda Fide scilicet euangelizatio atque effectus missionis maioris momenti esset quam quaestiones monasticae, et eadem opinionem illius, qui praepositus regionis missionariae erat, de hoc themate audire vellet. Itaque die 27^o m. Mart. a. 1927^o P. Gallus Steiger colloquia cum archiepiscopo Francisco [*Francesco*] Marchetti Selvaggiani secretario atque Cardinali Villoredo van Rossum Praefecto Congregationis de Propaganda Fide habuit,²⁶ quibus sententiam suam atque argumenta sua eis protulit.²⁷

Sed iam ante illa colloquia Romana Cardinalis van Rossum brevem epistulam officialem ad Praefectum Apostolicum Gallum Steiger miserat eum interrogans, quid sub aspectū abbatiae erigendae de eruditione cleri saecularis indigenarum sentiret.²⁸ Responso suo Gallus Steiger unā ex parte affirmavit se generaliter nihil obicere posse, si missionarii Benedictini in Praefecturā Lindiensi operantes in abbatiam congregarentur, cum talia in Constitutionibus Ottiliensibus praeviderentur, tamen alterā ex parte graves dubitationes suas protulit, cum scriberet in praesenti fieri nondum posse, ut duodecim monachi sollemniter professi in unum locum abbatiae provisum contra-

esse, si Ottiliani ex missione se retraherent. (*Cfr* Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2008), p. 361; Johannes MAHR: *Erzabt Norbert Weber*. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 165, qui partes huius epistulae exhibet).

25 Ut Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey*. 1 (2008), p. 162 et Lambert DOERR: *Gallus Steiger* (2014), p. 51 referunt, Norbertus Weber die 11^o m. Mart. a. 1927^o serias disputationes cum Gallo Steiger habuit, quibus ei opprobrio dedit eum cum illis Patribus missionariis contra propositum abbatiae communiter egisse. Gallus Steiger quidem affirmavit se de actione Patrum nihil scivisse, quod certe verum erat. Tamen de ipsa actione non est mirandum, quia Gallus Steiger iam antea satis saepe et satis aperte dixerat, quid hac in re sentiret.

26 *Cfr* Lambert DOERR: *Gallus Steiger* (2014), p. 51.

27 Secundum Lambertum DOERR: *Gallus Steiger* (2014), p. 51 Praefectus Apostolicus colloquiis habitis die 29^o m. Mart. a. 1927^o longam epistulam ad Cardinalem van Rossum direxit, quā rationem suam denuo fuse explicuit.

28 *Cfr* Cardinalis Vilemi van Rossum epistula die 5 m. Mart. a. 1927 ad Gallum Steiger directa (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - Ut ex notitia manuali apparet, Gallus Steiger hanc epistulam demum die 26^o m. Maii a. 1927^o accepit. Susplicandum est hanc epistulam primo in Africam orientalem missam esse, antequam in manū Galli Steiger in Germaniā commorati pervēnit.

herentur, quia omnes Patres Fratresque variis in stationibus laborantes totā in Parefecturā dispersi essent. Si vero talis congregatio fieret, «*opera missionaria immensum detrimentum captura esse*». ²⁹ Quamvis ipse stricte contra propositum abbatiae erigendae se verteret, nihilominus, quod attinet ad eruditionem cleri saecularis, sincere subiunxit abbatiam quādam talia non impediri, sed e contrario quadamtenus facilitari.

Talibus disputationibus Archiabbas Norbertus Weber adductus est, ut Abbate Primate adiuvante novas consultationes cum Congregatione de Propaganda Fide et cum Congregatione Religiosorum institueret. ³⁰ Sic eis contigit, ut dubia Vaticanorum quoad abbatiam in Africa erigendam amoverent, quia ex ipsis Constitutionibus Ottiliensibus explicare valuerunt in regionibus missionariis non esse necessarium, ut in abbatiam constanter duodecim monachi versarentur, neque necessarium esse, ut liturgia tam sollemni modo celebraretur quam in monasteriis Europaeis. Praeterea demonstrare valuerunt, quanti momenti condicio monastica esset pro missione Ottilianā. Hunc in modum omnia obstacula, quibus abbatia erigenda impediretur, amota sunt. ³¹

Tamen aliud problema hac in re exortum est, quod cum monachorum iure Abbatis eligendi cohaerebat. Nam Abbas illius abbatiae in regione missionaria sitae provisus erat etiam fore Superior ecclesiasticus, id est Vicarius Apostolicus. Sed Congregatio de Propaganda Fide in iure suo insistebat, quo Superiores ecclesiastici alicuius regionis missionariae ipsa institueret. Quo modo ius Abbatis revera eligendi in irritum cecidisset. Cum huius problematis solutio, quā munera Abbatis atque Vicarii Apostolici seiungerentur,

29 Cfr Galli Steiger epistula die 4 m. Iun. a. 1927 ad Cardinalem van Rossum directa (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - Textus originaliter Theodiscus. - Cfr Cyrill SCHÄFER: Territorialabteien. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 410.

30 De variis gradibus harum consultationum certiores fieri solemus scripto, quod «*De Abbatibus in Africa*» [*Abteien in Afrika*] intitulatur et quod Norbertus Weber die 14 m. Iun. a. 1927 composuit (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 362 ad hunc textum referens scribit Norbertum Weber alterum memorandum ad Cardinalem van Rossum misisse, quo explicuit structuram monasticam progressum missionis non imperdiri. Tamen hoc scriptum Norberti Weber ad Cardinalem van Rossum non est directum, sed ex toto textu apparet agi quadamtenus de protocollo atque summario consultationum earumque effectum definitivo.

31 Cfr Norbert WEBER: Abteien in Afrika, p. 1 (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - Scitum dignum est Norbertum Weber hoc in conexu illam epistulam nonnullorum missionariorum Lindiensium supra allatam commemorare, de qua scripsit eandem Vaticanis esse nullius momenti eosque responsum non esse duros.

omnino non esset in votis, quia praeter alia status utriusque futurus esset difficillimus, Congregatio de Propaganda Fide commendavit capitulares abbatiae in regione missionariā erectae tres candidatos proposituros esse, quos Archiabbas probaret et quorum nomina unā cum numero suffragiorum, quae acceperant, ad Congregationem de Propaganda Fide nuntiaret. Eandem autem unum ex illis candidatis Abbatem atque Vicarium Apostolicum libere reddituram esse. Sed neque Abbas Primas neque Archiabbas huic consilio assentiri valuerunt, quia nulla vera electio fieret.³² Aliud autem propositum Congregationis de Propaganda Fide erat in eo, ut Praefectura Lindiense non in Vicariatum Apostolicum, sed in «Abbatiam Nullius» eveheretur, cuius Abbas secundum Constitutiones libere eligeretur atque Archiabbate commendante ab Congregatione de Propaganda Fide confirmaretur.³³ Haec solutio, cui et Cardinalis Vilelmus van Rossum et Cardinalis Camillus [*Camillo*] Laurenti Praefectus Congregationis Religiosorum favebant, Archiabati Norberto Weber, qui de ea ne sperare quidem ausus erat, scilicet plurimum placuit. Ex totā autem disputatione etiam manifestatur scopum Norberti Weber non ab initio fuisse mutationem Praefecturae Apostolicae Lindiense in «Abbatiam Nullius», sed eum intra Praefecturam sive Vicariatum abbatiam erigi voluisse. Definitivam solutionem ei tamen optabilem, quae erat effectus problematis, quomodo Abbas esset instituendus, invenit Congregatio de Propaganda Fide.³⁴

Ipse Praefectus Apostolicus Gallus Steiger, qui paene per unum annum in Europā versabatur, mense Iulio a. 1927ⁱ denuo in Africam profectus est atque mense Augusto eiusdem anni in stationem Ndandam advēnit³⁵ atque labores usitatos iterum suscepit etiam multa itinera ad varias stationes missionarias in Praefecturā suā sitas faciens. Inter absentiam eius reliqui Patres Fratresque scilicet opera sua missionaria exhibere perrexerant.

Aliā autem res hic breviter commemoranda est. Nam die 8^o m. Oct. a. 1927^o P. Gallus Steiger, qui usque ad illum diem locum suum principale Ndandae

32 *Cfr* Norbert WEBER: Abteien in Afrika, p. 2 (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER: Territorialabteien. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 410.

33 *Cfr* Norbert WEBER: Abteien in Afrika, p. 3 (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER: Territorialabteien. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 410.

34 Aliter Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 49, ex cuius relatione suggeritur Norbertum Weber ab initio atque consulto institutionem Abbatiae Nullius perpetravisse.

35 *Cfr* Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 52.

habuit, residentiam suam in stationem Peramiho transtulit.³⁶ Tamen hanc mutationem quasi clandestino modo fecit neque confratribus suis de novā condicione narravit. Etiam cum in conventū quodam mense Februario a. 1928ⁱ habito de necessitate residentiae transferendae sermo fieret, confratres de re iam actā certiores non fecit. Non autem est intellegibile, cur P. Gallus



Missionarii stationis Ndandae anno 1927^o recepti.

In anteriore parte (a sinistris): P. Meinulfus Küsters, P. Gallus Steiger, P. Patricius Mühlbauer, P. Ioachimus Ammann.

In posteriore parte (a sinistris): Fr. Aloisius Gilg, Fr. Villemus Liebers, P. Fintanus Schneider, Fr. Hermannus Reifenrath, Fr. Florianus Kessler.

[Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 343.]

Steiger mutationem residentiae diu reticuerit. Alterā ex parte causas, ex quibus hōc fecerit, bene intellegere possumus. Nam Peramiho ei videbatur fuisse maioris momenti, cum illā in parte Praefecturae augmentum euangelizationis multo maius esset. Praeterea suspicandum est Gallum Steiger bene scivisse etiam ipso resistente abbatiam erectum iri eandemque deinde locum suum in statione Peramiho habituram esse.³⁷

Et non falso putavit. Nam Archiabbas Norbertus Weber interea scopum suum persequi perrexit, quā de causā papa Pius XI Litteris Apostolicis die 15^o m. Dec. a. 1927^o datis Praefecturam Apostolicam Lindiensem in Abbatiam

36 Cfr Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), pp. 108 sqq.; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 54.

37 Sic condicionem etiam explicat Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), pp. 52 sq.

38 Hōc in conexū breviter explicandum est, quid sit Abbatia Nullius. Abbatiae Nullius (diocesis), quae inde ex anno 1983^o potius Abbatiae territoriales appellantur, longam traditionem habent (ex saeculo septimo), etiamsi numquam nimis multae huiusmodi abbatiae exstiterint. Exortae sunt ex condicione, quā nonnulla monasteria maioris momenti exemptionem ab iurisdictione episcopali non solum quoad conventuales suos atque aream monasterii petiverunt, sed etiam quoad regiones paroechiarum, quarum munera pastoralia exercuerunt vel quae eorum possessio erant vel quae aliquā dependentiā cum eis cohaerebant. Loco iurisdictionis episcopi adhibebatur iurisdictione Abbatis «prorsus liberi», qui dioecesi omnino non iam subditus erat, quā de causā «Abbas nullius dioecesis» appellabatur. Sic ex exemptione passivā facta est exemptio activa - ut periti dicunt -, quia novum genus illius, qui iurisdictione pollet, exortum est. Tamen decursū temporis huiusmodi abbatiae pauciores factae sunt. Sed inde ex medio saeculo undevicesimo novum genus Abbatiae territorialis exortum est, quae res cohaerere videtur cum generali impetū missionario illius temporis et cum desiderio aucto Ordinum religiosorum etiam contemplativorum, quo in regionibus quōque exteris monasteria cum propriā regione pastoralia habere voluerunt. Itaque illae Abbatiae Nullius generis novi erigebantur imprimis in regionibus missionariis ad condiciones ibidem ordinandas atque ex causis pastoralibus. [Eā de causā non omnino quadrat, cum Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter 2 (²1992), p. 143 scribat Praefecturam Lindiensem secundum traditionem mediaevalem in Abbatiam Nullius mutatam esse.] Sed scopus est in eo, ut territorium, quod Abbatiae Nullius subditum est, aliquando fiat diocesis, quā de causā ipsā Abbatia territorialis aliquo tempore ut talis fiet obsoleta. Sed Abbatibus Nullius - aliter ac Vicariis Apostolicis - ordinaria potestas sui iuris est et iidem iuridice aequales sunt episcopis.

Cfr ex. gr. Erwin v. KIENITZ: Die Rechtsstellung der gefreiten Äbte und Prälaten. In: Theologie und Glaube 25, 1933, pp. 590 sqq.; Joseph BAUCHER: Abbaye Nullius. In: Dictionnaire de Droit Canonique. 1. Paris 1935, coll. 16 sqq.; Giuseppe LABINA: Le Abbazie Nullius. Note giuridico-pastorali. In: Benedictina 24, 1977, pp. 2 sqq.; Cyrill SCHÄFER: Territorialabteien. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 403 sqq.

Cfr etiam ex. gr. CIC (1917)*, can. 319 § 1: Praelati, qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius*, nempe dioecesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet.

CIC (1917), can. 323, § 1: Abbas vel Praelatus *nullius* easdem potestates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habet, quae competunt Episcopis.

CIC (1917), can. 324: Capitulum religiosum abbatiae vel praelaturae *nullius* regitur propriis legibus ac constitutionibus; Capitulum saeculare, iure communi.

CIC (1917), can. 215, § 2: In iure nomine dioecesis venit quoque abbatia vel praelatura *nullius*; et nomine Episcopi, Abbas vel Praelatus *nullius*, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet.

*) Codicem Iuris Canonici anni 1917ⁱ hic attuli, quia tōdem illo tempore adhibebatur, quo Lindiensis Abbatia Nullius erecta est.

Textus autem huius scripti papalis est hic:⁴⁰

«*Non sine magna animi Nostrae laetitia comperimus in praefectura apostolica de Lindi in Africa Centrali, curis concredita Patrum Congregationis Benedictinae Sanctae Ottiliae, christianam rem magna, favente Deo, incrementa suscepisse. Quare cum dilectus filius Norbertus Weber, archiabbas dictae Congregationis Benedictinae Sanctae Ottiliae, Nos enixis precibus flagitaverit ut praefecturam eandem in abbatiam nullius dioecesis erigere dignemur: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo Fidei christianae progressui praefato in territorio aptius provideatur, laudati archiabbatis votis ultro libenterque existimavimus adnuendum esse. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesertim tenore, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis, praefecturam apostolicam de Lindi in Africa Centrali, curis commissam Patrum Congregationis Benedictinae Sanctae Ottiliae, in abbatiam nullius dioecesis erigimus atque constituimus, cum omnibus iuribus, honoribus, indultis ac privilegiis et praerogativis, quae Benedictinis abbatibus nullius dioecesis de iure competunt.*

Haec statuimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas

-
- 39 Cfr Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (³1939), p. 54; Philipp HOFMEISTER: Gefreite Abteien und Prälaten. In: Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte. Kanonistische Abteilung 50, 1964, p. 228; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. In: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 104; Godfrey SIEBER: Congregation (1992), p. 52; Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 110; Godfrey SIEBER: Gallus Steiger (1879-1966). Abt und Bischof in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 359; Cyrill SCHÄFER: Territorialabteien. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 410; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 362; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 60. - Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter 2 (²1992), p. 143 solum annum 1927^{um} indicat; Frumentius RENNER: Die Kongregation von St. Ottilien und ihre Filiationen. In: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, p. 34 scribit Abbatiam Nullius anno 1928° erectam esse; Eckhard KÖHLE: Kurze Geschichte der Ostafrikanischen Mission. In: Missionsblätter 32, 1928, p. 210 non ita exacte indicat diem 13^{um} m. Dec. a. 1927°; Beda DANZER: Benediktinerregel in Übersee (1929), p. 84 terminos permiscuit et indicat Abbatiam Nullius die 15° m. Febr. a. 1928° erectam esse (cfr decretum, quo Abbas instituebatur).
- 40 AAS 20, 1928, pp. 97 sq. (Textus originaliter Latinus). - Versio Theodisca huius textūs exhibetur in: Missionsblätter 32, 1928, p. 65.

atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare potuerunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus quibuscumque.»



*Tabula geographica Abbatiae Nullius Lindiensis.
(quae quoad nomina Latina mutata est).
[Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 411.]*

Lindiensi Abbatia Nullius erecta tamen quaedam quaestiones remanserunt solvendae. Prima et hac quidem maioris momenti agebatur de persona Abbatis futuri. Archiabbas Norbertus Weber eam de causa monachos Lindienses interrogavit, qualem sententiam hac in re haberent. Maxima pars illorum P. rem Gallum Steiger Abbatem exoptaverunt. Quod non est mirandum, cum idem iam per decem annos regionem optime administraverat atque plurimum ad eius progressum attulerat. Maximam partem fuisse eam de causa dixi, quia quinque missionarii adhuc abbatiam habere noluerunt, ex quibus duo omnino nullum votum de futuro praeposito protulerunt, reliqui vero Vicarium Apos-

tolicum desiderarunt P. rem Gallum Steiger.⁴¹ Votum autem missionariorum cum deliberationibus ipsius Archiabbatis congruebant. Itaque ea, quae ex interrogatione suā evēnerant, Norbertus Weber mense Ianuario a. 1928ⁱ unā cum commendatione suā atque relatione de vitā, operibus facultatibusque Galli Steiger ad Cardinalem Vilelmum van Rossum misit rogans, ut īdem Abbas Lindiensis institueretur.⁴²

41 Hic effectus interrogationis apparet ex Norberti Weber epistolā die 23 m. Ian. a. 1928 ad Cardinalem van Rossum directā (ASO, Z.1.14 (Lindi)).

42 Cfr Norberti Weber epistula die 23 m. Ian. a. 1928 ad Cardinalem van Rossum directa (ASO, Z.1.14 (Lindi)), cuius textus est hic:

«*Eminentissime Princeps!*

Per litteras die 14. Ianuarii huius anni Eminentia Vestra mecum communicavit Breve Apostolicum, quo Praefectura Apostolica de Lindi in Abbatiam Nullius erecta est. Iterum Eminentiae Vestrae pro hac in nostram Congregationem fiducia demonstrata gratias ago, certus, totam nostram Congregationem imprimis Missionem Africanam inde magnum emolumentum esse hauriendam.

Sed nunc, iuxta Constitutiones nostras a S. Sede approbatas ad me, humilem oratorem spectat, Praesulem novae Abbatiae nullius Sanctae Sedi proponere.

Iuxta has nostras Constitutiones (no. 207) primus novi Monasterii Abbas non eligitur a Monachis sed ab Abbate fundatore nominatur, hoc in casu, quo agitur de Abbate nullius, ab Abbate fundatore S. Sedi proponitur.

Cum iam pridem hac de erectione Abbatiae in et pro Territorio de Lindi tractaretur, tempus datum erat sufficiens ad perscrutandas Missionariorum sententias, quemnam dignum et aptum haberent, qui dignitate Abbatiali necnon et cura Territorii Missionis fungi posset. Ex hac perscrutatione provenit, ut 5 Missionariorum rem ipsam scilicet erectionem Abbatiae importunum putarent. Horum 5 Missionariorum duo omnino nihil dixerunt de nomine eligendi, tres optabant Vicarium Apostolicum quidem sed non Abbatem idque tamquam Vicarium Rmm. P. Gallum Steiger. Omnes alii Missionarii non solum assentiebantur erigendae Abbatiae sed etiam ad unum omnes Rmm. P. Gallum Steiger nominabant, quem et ipsi dignum et aptum pro munere ducebant.

Et ego pro mea conscientia nullum alium invenio quem digniorem aptioremque haberem quam eundem Rmm. P. Gallum Steiger, quare enixe Eminentiam Vestram rogo, ut Ipsa hunc Rmm. P. Gallum Steiger Sanctae Sedi tamquam Abbatem nullius Territorii de Lindi confirmandum et instituendum proponere velit.

1. Est Rms. P. Gallus Steiger natus die 27 Martii in Bueron, Dioeceseos Basiliensis in Helvetia. Haec eius nationalitas pro condit[ionibus] in Tanganika Territory, Gubernio Britannico subiecta, vigentibus, hoc ipso tempore magni momenti esse videtur, quia procul dubio hoc Gubernium Superiorem Ecclesiasticum natione Germanica adhuc aegre ferret.

2. In praesens P. Gallus Steiger est Monachus sol[lem]niter professus Archiabbatiae de St. Ottilien, cui per 26 annos vi votorum attinet.

3. Studiis theologicis in Universitate Monacensi in Bavaria et in ipso Monasterio Ottiliensi optimo profectu vacavit.

Satis celeriter atque sine ullā disputatione Congregatio de Propaganda Fide P.rem Gallum Steiger Abbatem ordinarium reddidit decreto die 15^o m. Febr. a. 1928^o exhibito, ubi leguntur haec:⁴³

4. *Gradus nullos est assecutus, quia mature in Missiones mittebatur.*

5. *Nec professor exstitit.*

6. *Iam per 22 annos in nostra Missione Africana laborabat, idque ultimos 6 annos tamquam Praefectus Apostolicus Praefecturae de Lindi. Anno 1906 in Vicariatum Apost. de Daressalam, tunc nostrae Congregationi commissum, missus est, ubi in variis Stationibus magno cum eventu conversioni ethnicorum incubuit. Anno 1919, cum duritia belli Vicarius Apostolicus de Daressalam, Thomas Spreiter, una cum Missionariis Germanicae nationis ex Vicariatu expulsi essent, P. Gallus Steiger ab eodem Vicario ad munus Pro-Vicarii propectus est. Deinde 6 abhinc annis ante a S. Sede Praefectus Apostolicus pro Praefectura Lindi institutus est. Hoc suo officio, uti mihi persuasum est, omni zelo apostolico functus est suisque dispositionibus et laboribus, sua diligentia et rerum cognitione suum Territorium, diro bello distractum ac dirutum denuo erexit, ita ut nunc optimum spem uberrimorum in animabus fructuum praeberet.*

7. *Praeter linguas Germanam, Latinam, Anglicam et Graecam etiam indigenas Africanas callet, Kisuaheli scilicet necnon et nonnullos dialectos,, quibus incolae diversarum illarum regionum utuntur.*

8. *De officiis iam sub No. 6.*

9. *Magnam semper prudentiam exhibuit in deliberationibus et agendi ratione. Propterea Gubernium Anglicum illi inter et post bellum permisit, ut in Africa permaneret.*

10. *Corpore est satis sanus, frugi, patiens atque in administratione rerum temporalium bene versatus.*

11. *Propositi est tenax nec ingenio mutabilis. Per hanc eius perseverantiam evenit, ut, quamvis undique difficultates et impedimenta obstant, uberrimo scholarum numero erecto spiritus christianus ex diversis Stationibus missionalibus longe lateque diffunderetur.*

12. *Non solum gaudet fama honestatis sed etiam propter excellentem regularis disciplinae observantiam semper omnibus exemplo fuit. Nihil in eo umquam fuit contra mores.*

13. *In exercendis sacerdotalibus muniis est attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator.*

14. *Habitu, incessu, sermone aliisque omnibus gravitatem prae se fert.*

Dum haec cum Eminentia Vestra communico, circa personam Rmi. P. Galli Steiger, iterum rogo, ut Ipsa hunc Sanctitati Suae tamquam Abbatem nullius instituendum proponere velit.» - Textus originaliter Latinus.

Hunc fuisse modum in Abbate Nullius instituendo apparet ex Codice Iuris Canonici: CIC (1917), can. 320, § 1: Abbates vel Praelati nullius nominantur et instituuntur a Romano Pontifice, salvo iure electionis aut praesentationis, si cui legitime competat; quo in casu ab eodem Romano Pontifice confirmari aut institui debent.

43 Congregationis de Propaganda Fide decretum diei 15ⁱ m. Febr. a. 1928^o (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - Quod decretum die 17^o m. Febr. a. 1928^o ad Archiabbatem Norbertum Weber missum est (ASO, Z.1.14 (Lindi)). - De ipsā re *cf.* Chron. Ottil. m. Ian. usque ad m. Apr.

«*Praefectura Apostolica in Africa Centrali existens vulgo de Lindi nuncupata per Breve Apostolicum diei 15 n.e. mensis Decembris 1927 in Abbatiam Nullius erecta fuit.*

Iuxta praedictae Congregationis Constitutiones primus novi Monasterii Abbas non eligitur, sed ab Abbate fundatore nominatur.

Cum vero in casu non de simplici Monasterio, sed de Abbatia Nullius agatur, Abbas fundator non nominat, sed ipsum proponit atque commendat.

Quod quidem Rmus Archiabbas S. Ottiliae, qui Abbatis fundatoris iuribus gaudet, rite perficere volens, opportuno tempore sententiam missionariorum, qui in territorio de Lindi sub regimine R.P. GALLI STEIGER o.s.b. plures annos adlaboraverant, perscrutare satagit: cumque confratribus suis acceptum noverit eundem P. Gallum Steiger, opportunum duxit laudatum Gallum Steiger humiliter Sanctae Sedi proponere eundemque commendare, ut noviter erectae Abbatiae Nullius de Lindi, cum titulo Abbatis Nullius, necessariis ad rite iurisdictionem in subditos eiusdem ABBATIAE NULLIUS exercendam facultatibus praeditus, praeficeretur.

Quae cum ab infrascripto S. huius Congregationis de Propaganda Fide Secretario in audientia diei 13 labentis mensis Februarii Ssmo D.N. Pio Div. Prov. Pp XI relata fuerint, EADEM SANCTITAS SUA commendationem Rmi Archiabbatis S. Ottiliae benigne excipiens, praelaudatum

R.P. GALLUM STEIGER O.S.B.

Primum Abbatem novae Abbatiae Nullius de Lindi nuncupatae renuntiavit, cum omnibus iuribus privilegiis eidem munere adnexis atque praesens in re Decretum confici mandavit.»

Sed ipse novus Abbas Gallus Steiger idem fecit ac antea, cum ageretur de abbatiā erigendā, id est vehementer restitit. Nullo modo Abbas fieri voluit, cum putaret sibi facultates ad tale munus explendum deesse.⁴⁴ Simulatque de decreto Congregationis de Propaganda Fide audivit, rem negare atque refuta-

a. 1928; Eckhard KÖHLE: Kurze Geschichte der Ostafrikanischen Mission. *In:* Missionsblätter 32, 1928, p. 210; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In:* Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 163; Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 110; Cyrill SCHÄFER: Territorialabteien. *In:* Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 413; Godfrey SIEBER: Gallus Steiger. *In:* Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 359; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 60;

44 De indole Galli Steiger *cf.* Lucius MARQUARDT: The two Abbot-Bishops of Peramiho: Portraits of Abbot-Bishops Gallus Steiger and Eberhard Spiess. *In:* Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), pp. 197 sqq.; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), pp. 384 sqq.; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), pp. 195 sqq.

re conatus est.⁴⁵ Cum iam esset in itinere ad Capitulum generale anni 1928ⁱ participandum,⁴⁶ ad quod in Germaniam revocatus erat, die 30^o m. Mart. a. 1928^o epistolam ad Archiabbatem misit, quā ei causas suas communicavit, cur dignitatem abbatialem accipere recusaret.⁴⁷ Speraverat autem se consultationibus cum Archiabbate domi habitis responsum negativum Romam mittere posse.

Tamen haec omnia frustra suscepit. Nam cum Gallus Steiger in Germaniam adveniret, dies, quo benedictio abbatialis sollempniter fieret, iam erat constitutus omniaque iam erant praeparata. Sic in fine ei nihil aliud relinquebatur ac sortem suam accipere.⁴⁸ Itaque die 17^o m. Iun. a. 1928^o in archiabbatiā

45 Ut Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 62 refert, Norbertus Weber die 24^o m. Mart. a. 1928^o telegraphema ad Gallum Steiger miserat, quo eum ipsum Abbatem fore certiores fecit, eum ad Capitulum generale atque benedictionem abbatialem in Germaniam vocavit et responsum affirmativum rogavit. - Ut ex Chron. Ottil. m. Ian. usque ad Apr. a. 1928 apparet responsum affirmativum ab P.re Gallo Steiger non erat missum.

46 De Capitulo generali anni 1928ⁱ cfr infra cap. 4.14.

47 Cfr Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 62; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), pp. 363 sq., qui textum ex diario Galli Steiger depromptum affert, ubi idem de his rebus ipse rettulit. - Illā in epistolā commemoratā Gallus Steiger, ut sortem suam averteret, proposuerat, ut loco suo P. Meinulfus Küsters Abbas Lindiensis institueretur. Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 62 diiudicat hanc cogitationem fuisse ex merā desperatione exortam, cum P. Meinulf Küsters fuisset quidem bonus ethnologus, sed ex indole ingenioque nullo modo fuisset aptus ut fieret Abbas familiae monasticae. - Videtur vero Norbertus Weber illam resistentiam Galli Steiger quadamtenus praevidissee, cum idem die 17^o m. Apr. a. 1928^o epistolam ei de hoc themate scripserat atque etiam Thomam Spreiter, Bonifatium Sauer et Placidum Vogel instigaverat ad epistulas mittendas, quibus dubia Galli Steiger superarentur.

48 Significantia sunt verba, quae in epistulis Galli Steiger die 22^o m. Iun. a. 1928^o ad papam et ad Cardinalem van Rossum missis inveniuntur. In epistolā ad papam directā (ASO, Z.1.14 (Lindi)) leguntur haec: «*Licet tali Sanctitatis Tuae in me confidentia tantaque dignitate omnino me indignum ducam et officia tanti muneris meas vires longe superare convictus sim, nihilo setius ratio in voluntate expressa Sanctitatis Tuae voluntatem Dei cognoscendam mihi esse, simpliciter locutus sum: Fiat voluntas Tua.*» - Textus originaliter Latinus. - Et ad Praefectum Congregationis de Propaganda Fide scripsit haec (ASO, Z.1.14 (Lindi)): «*Mihi liceat nomine totius Praefecturae gratias quam maximas agere pro hac promotione. Quamvis honore per nominationem in Abbatem nullius mihi praesto et fiducia in me habita me omnino indignum putem, tamen ex diversis circumstantiis, praesertim ex Sanctissimi Domini nostri Pii Papae XI voluntate, voluntatem Dei mihi cognoscendam existimavi, quae res sola me movit, ut munus acciperem.*» - Textus originaliter Latinus.

Ottiliensi sollemnitatis benedictionis abbatialis Galli Steiger celebrabatur, cui multi quoque Praelati Abbatesque intererant.⁴⁹ Cum episcopus Augustanus Maximilianus von Lingg aetatis causā impeditus esset, ipsam benedictionem Gallo Steiger rogante episcopus Thomas Spreiter largitus est.



*Praelati Abbatesque, qui sollemnitati benedictionis abbatialis Galli Steiger intererant.
[Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 67.]*

In initio anni 1929ⁱ Abbas Gallus Steiger in Africam revertit atque ibidem labores suos continuavit ut antea. Tamen quaestio remansit, qui esset locus ipsius monasterii abbatiaeque.⁵⁰ Nonnulla autem loca in quaestionem venisse

49 Cfr Chron Ottil. m. Maii usque ad m. Iul. a. 1928; Godfrey SIEBER: Gallus Steiger. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 359 sq.; Siegfried HERTLEIN: Missionsmethode. *In*: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.) (1983), p. 104; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey. 1 (2008), p. 365; Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), p. 111; Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), pp. 65 sq. - De hac sollemnitatis fuse refertur in *Paginis missionariis* (Missionsblätter 32, 1928, pp. 244 sqq.). Hac occasione datā Archiabbas ipse perceptionem suam missionariam nonnullis deliberationibus protulit, quibus necessitatem demonstravit, quā missio Benedictina Abbate indiget et quā abbatia missionaria est centrum firmum operum missionariorum, cum eius Abbas sit non solum pater monachorum, sed etiam pater totius missionis. Cfr Norbert WEBER: Habemus Abbatem. Zum 17. Juni 1928, dem Weihetag des Hochwürdigsten Abtes Gallus Steiger O.S.B. *In*: Missionsblätter 32, 1928, pp. 194 sqq.

50 Cfr Siegfried HERTLEIN: Missionsmethode. *In*: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.) (1983), p. 106; Lambert DOERR: Peramiho. 1 (1998), pp. 111 sq.; Siegfried

videntur. Primo agebatur de loco Lindi in litore Oceani Indici sito, cum tota regio missionaria appellaretur «Abbatia Nullius de Lindi». Sed illo in loco tantummodo parva procura exstitit. Praeterea erat statio Ndanda, cum eadem adhuc esse residentia officialis Galli Steiger putaretur. Sermo autem iam pridem erat de Kigonsera,⁵¹ quia ibidem non solum aedificia satis apta iam erant, sed etiam condiciones climatis erant salubres. Insuper Peramiho enumerabatur, quā in statione denique abbatia locum suum habuit, cum sita esset in regione maxime prosperā et cum ipse Abbas Gallus Steiger eam iam pridem praedilexisset.

Sed in initio illa abbatia nova quasdam specialitates sive deficientias habuit, quae abbatiae Benedictinae non ita conveniebant.⁵² Nam unā ex parte ei non erat propria familia monastica, quia monachi, qui ibi versabantur, vota stabilitatis ad illam abbatiam missionariam non transferebant, alterā ex parte proprium novitiatum non erat provisum et denique commune opus Dei, id est communes preces horarum in choro absolvendae, non fiebant. Tamen haec omnia non significant Lindienses missionarios Ottilianos vitam monastice ordinatam non degisse et monachos ibidem versatos semet ipsos non percepisse ut Benedictinos. Nihilominus illo tempore locutio



Abbas Gallus Steiger.
[Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey. 1*
(2008), p. 364.]

HERTLEIN: *Ndanda Abbey. 1* (2008), p. 369; Lambert DOERR: *Gallus Steiger* (2014), p. 66.

51 In scripto Norberti Weber die 14^o m. Iun. a. 1927^o composito, cui titulus est «Abteien in Afrika» (ASO, Z.1.14 (Lindi)), p. 1 commemoratur tantummodo Kigonsera ut locus ad abbatiam erigendam.

52 In hanc quaestionem incumbunt Lambert DOERR: *Peramiho. 1* (1998), pp. 112 sq.; Siegfried HERTLEIN: *Ndanda Abbey. 1* (2008), p. 370; Lambert DOERR: *Gallus Steiger* (2014), pp. 66 sq.

exorta est abbatiam Peramiho non solum esse «sui iuris», sed etiam «sui generis». Quamvis difficultates atque deficientiae initiales fuerint, tamen - ut Lambertus Doerr existimat⁵³ - ex diuturno progressū rerum manifestabatur Archiabbatem Norbertum Weber recte fecisse, quod in visione suā et in abbatiā in regione missionariā erigendā insistebat.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 199, 2015, pp. 27-48]

53 Lambert DOERR: Gallus Steiger (2014), p. 67.